8.
M

UROMANTICA

EXPERIMENTA

A B

PAULO PASCHALI

CATINENSI

Siculorum Gymnasii Alumno

Publicè demostranda

SUB DISCIPLINA

JACOBI ZAPPALA' CANTARELLA

Medicinæ Theoreticæ Professoris

In Alma Catinensi Studiorum Universitate

CORAM

ILL. EJUSDEM UNIVERSITATIS

DEPUTATIONE

DIE 4. JUNII

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

CATINÆ MDCCXCI.

FRANCISCUS PASTORE TYPOGRAPHUS ÆTNÆORUM EXCUDEBAT

Cum Approbatione.

§. I.

URINA Fluidum eſt per uropojetica vaſa ſecretum, magna aquæ quantitate, parum ſalis marini, ſalis phoſphorici, calcarii, ſimilis oſſium baſi, magna ſalis fuſibilis, aut nativi quantitate, atque duabus particularibus ſubſtantiis extractiva una, ſaponacea altera conſtans. ut Dñus DE ROUVELLE, apud MACQUER Diz. di Chimica; & FOURCROY Lezion. di Chim.

§. II.

Componentia iſta, data proportione, naturalem odorem, colorem, atque conſiſtentiam optimæ urinæ tribuunt: At ſi atmospherico aeri, & præcipue calido exponatur, ſalina præſcripta principia decomponuntur, alcalinum, putridumque odorem lotio inducunt, ut notum omnibus eſt. Idem evenit ſi ſequenti experimento utamur.

EX-

EXPERIMENVUM I.

IN recentem urinam quædam calcis vivæ quantitas injiciatur, illicò putridus Alcalinus odor ob ſalis fuſibilis decompoſitionem evolvitur; Quin etiam Dominus BERTHOLET aqua calcis vivæ in recentem urinam injecta præcipitatum quoddam obſervavit, ex quo phoſphorum educi poſſit.

EXPER. II.

Huic male olenti putridæ urinæ Acetum deſtillatum immiſceatur, putridum alcalinum odorem ex calce viva evolutum deſtruet.

COROLLARIA

I. URina igitur gravirer olens in ſtatu morboſo, ab aliquo principio intrinſecus Alcaleſcente, producitur, ut in morbis a ſumma humorum putredine, aut in va-

vasis, aut in renibus, aut in vesica ortis, atque in febre colliquativa, ubi certissimum colliquationis signum urina repræsentat.

II. Quapropter curatoria Indicatio principium illud intrinsecus alcalescens, quibuscumque acidis, et præcipue mineralibus corrigendi eruitur, ut secundo experimento comprobatum remanet.

§ III.

Si componentium salium proportio infirmatur, urinæ color varius redditur, Etenim vel deficit, vel excedit. In defectu alba, aut plus minusve pallida, seu spicea evadit: In excessu verò Flammea, seu Rutilans, aut rubra, intense crocea, seu flava, aut aurea, viridis, livida, nigra efficitur.

EXPER. III.

Urinæ naturalissime constitutæ citrini coloris tres excipiantur partes: uni parti spiritus salis ammoniaci vinosi instilletur, color citrinus sub instillatione in proxime

rubrum mutatur: alteri parti oleum tartari per deliquium inſtilletur, extemplo citrinus color in fere fulgidum mutatur: Tertiæ parti acetum deſtillatum inſtilletur, nulla obſervatur alteratio, citrinus vero color ejus parum diluitur.

EXPER. IV.

Ambabus urinæ partibus ab alcalibus colore immutatis acetum vini deſtillatum addatur, mox diluitur color, ac naturalis urinæ citrina tinctura, jucundo ſane ſpectaculo, ut ante Alcalium additionem emerget.

EXPER. V.

Tertiæ urinæ parti aceto vini deſtillato dilutæ ſpiritus Nitri adjungatur, urinæ color intenditur, & ex rubro fulgidus evadit.

EXPER. VI.

Alia urinæ naturaliter conſtitutæ quantitas in duas ſe jungatur partes: uni parti Aluminis ſolutio affundatur, urina ſtatim tur-

turbatur; color ejus ferè pallidus evadit: Alteri parti Vitrioli martialis solutio addatur, extemplo opacus, & pallidè liveſcens urinæ color obſervatur.

EXPER. VII.

Duabus hiſce urinis oleum tartari per deliquium adjungatur, urinæ turbatio atque craſſities augetur; Si autem huic turbatæ urinæ acetum vini deſtillatum addatur, turbatio, atque urinæ craſſities prævia quadam efferveſcentia evaneſcunt.

COROLLARIA.

I. EX hiſce experimentis eruitur, quod juxta ſalium conſtituentium decompoſitionem, ex alcalinis, & acidis ſubſtantiis, tam rarefactione, & condenſatione, quam ſolutione, & præcipitatione allatam, varius urinæ color enaſcitur.

II. Quare urina alba tenuis, aut pallida tenuis, in qua debita ſalium componentium proportio deeſt, ex ſumma atonia viſcerum,

rum, quæ cruda non coquant, atque ex ſanguinis naturali conſtitutione non rité elaborata producitur; ut in maxima morborum cruditate, in acutis inflammatoriis, phreniticis, & in nervorum morbis ſpaſmodicis Hypochondria, Hyſteria, aliiſque inquibus uropojetica vaſa ob ſpaſmum lumine naturali deſtitui ſolent, ita ut ſolus ichor, ſeu ſeroſa tenuis humiditas excerni poſſit, aut cruor adeo compactus, ut aquoſa ſecum commiſceri renuat. Alba autem craſſa in qua turbata ſalium componentium proportio eſt, ex depravata alimentorum digeſtione progignitur. Quoniam chilus non bene defoecatus, & in ſanguinem tranſmiſſus per uropojeticas vias tranſcolat; ut in pueris frequentiſſimé observari ſolet.

III. Urina inde intenſe crocea; fulgida, liveſcens, viridis, nigra, ubi componentium ſalium quantitas, & qualitas diverſimodè augetur, ex varia præcipui humani corporis liquoris, bilis ſcilicet intenſitate producitur; ut in omnibus fe-

bribus ardentibus, tertianis, aliisque, atque viscerum inflammationibus notari plurimum solet.

IV. Itaque Alba tenuis ex cruditate materiæ morbificæ, & stomachi imbecillitate, alba crassa ex depravata alimentorum digestione curatoriam indicationem præbet morbificas causas digerendi, stomachum roborandi omnibus Analepticis, aromaticis, atque corroborantibus; digestionem alimentorum coadjuvandi digestivis, aromaticis, amarisque medicaminibus. Tenuis verò urina ex spasmo, cancti diluentia, & antispasmodica indicat, quibus nervorum morbis ex spasmo excitatis succurritur.

V. Intense crocea autem fulgida, livescens viridis, nigra indicationem exposcit diluendi, atque demulcendi largis haustibus potus aquosi, cichoracei, atque acetosi, quibus prædicti morbi vinci solent, quibusque urinæ color intense croceus, & fulgidus ad urinæ citrinum colorem reducitur; ut experimentis demonstratum est.

§. IV.

Cohæſionis diverſitas prædictorum ſalium urinam conſtituentium ex aquoſo liquore, ſeu menſtruo pendens conſiſtentiam urinæ variam formet. Quoties igitur aliquibus mediis dictorſum ſalium in urina exiſtentium cohæſionis affinitas augetur, urinæ conſiſtentia evenit, ſedimentumque copioſum inſpicitur. En experimenta.

EXPER. VIII.

Duæ urinæ naturaliter conſtitutæ excipiantur partes, primæ parti oleum tartari per deliquium inſtilletur, ſub inſtillatione ſedimentum candidum copioſum præcipitatur: alteri parti Acidum marinum inſtilletur, nulla turbatio, aut ſedimenti extruſio, ſed tantum coloris intenſio ſequitur.

EXPER. IX.

Si urinæ ab Alcali turbatæ ſpiritus nitri inſtilletur omnia evaneſcunt, & urina denuò clareſcere incipit. Si autem urinæ acido marino imbutæ oleum tartari per deli-

liquium inſtilletur; ſubito urina turbatur ſedimentumque candidum ſeponit.

EXPER. X.

Si urinæ naturali ſpiritus ſalis ammoniaci inſtilletur, eadem ſedimenti præcipitatio ſequitur; huic mixtioni ſi poſt horas 8. ſpiritus vitrioli addatur, ſedimenti maxima pars reſolvitur.

COROLLARIA.

I. EX hiſce experimentis eruitur, quod Alcalia illa ſunt, quæ ſalium urinam componentium decompoſitionem promovent, ſedimentumque præcipitant; quod acida affinitatis vi alcalia ad ſe trahendo ſedimentum ab alcalicis productum reſolvunt, & in priſtinum naturalem ſtatum urinam reducunt.

II. Hinc urinæ turbidæ copioſo ſedimento ubique diſperſo, lateritio conjunctæ, principium aliquod alcaleſcens, in morbis illis putridis, in quibus evenire ita ſolent

lent urinæ, latere existimandum: sicut etiam in oleaginosa urina ex pinguedinis dissolutione progenita, ut in febribus colliquativis, idem est judicandum. Hujusmodi urinæ malum omen semper prænuntiant ubi criticæ cum morbi resolutione non eveniant.

III. Qua de re curatoriam indicationem exposcunt, ut diluentia, attemperantia, demulcentia, acida medicamina in usum vocentur; quæ sunt illa, quæ principium illud in infirmi corporis humoribus alcalinum latens absorbendo, atque destruendo vim morbi infringunt, ægrumque in pristinam sanitatem restituunt.

§. V.

Plurima quoque circa urinas consideranda remanent, sed quia ad peculiares morborum origines indagandas non parum inducunt, privatam, non publicam exposcunt operam; Hìc tantum, quod ad alteram Therapeiæ partem attinet, subjungendum est, nimirum utilitates, quas urina, ut medica-

men

men ægrotis affert, ne delicatuli illi, qui preſſis labiis, criſpiſque naribus, oculiſque retortis hæc publica experimenta inſpexerunt, naturalem urinam abſolutè deſpiciant.

§. VI.

Urina externe adhibita præſtans eſt contra inflammationes remedium. Etmullerus ea uſus eſt cum notabili levamine in podagra cum inflammatione Eriſipelacea conjuncta. Egregium enim anodinum eſt partium nervoſarum doloribus applicata. Exulcerationes aurium ſanat, vulnera, & ulcera mundificat, ſcabiem ſiocat. Urina pueri inſtillata oculorum rubedini ſubvenit. Lotiones, & frictiones membrorum paralyticorum cum urina propria, vel urina pueri vulgariter commendari ſolent. Tumores uvulæ gargariſmate diſcutit.

§. VII.

Urina interne aſſumpta ad aliquod unciæ viperarum venenum arcet, & Zacutus Luſitanus teſtatur nonnullos ejus uſu a vi-

pe-

perarum morſibus fuiſſe curatos. Urinæ propriæ potus in præſervanda, & curanda peſte laudatur. Mariti urina a mulieribus parturientibus hauſta partum facilitat, ut Hartmannus, quod verum, & mulierc ularum experientia notum eſt. In obſtructione Hepatis, & Lienis, harumque partium tumoribus, ruſticis, & agreſtibus hominibus ſæpe potandam dedit urinam propriam magno, ac felici cum ſucceſſu Solenander. Urina propria in curatione Icteri, Hydropis, Cachexiæ, & ſimilium affectuum ex ſanguinis diſcraſia progenitorum multum valet.

§. VIII.

Urina recens vim quoque magneticam habet, in curatione morborum magica. Sed qui diſtinctam hanc vim ſapere velit, BARTHOLINUM, HELMONTIUM, & VILLISIUM adeat.

FINIS.

VA11539996